

## QVÆSTIO II.

Qvibus Capillamentorum Usus  
concedatur.

## I.

**M**ultiplex nobis oboriretur disceptatio, si tres illos Hierarchiæ Status, Ecclesiasticum, Politicum & Oeconomicum, cum singulis Ordinum eo pertinentium varietatibus, curiose pervestigare animus foret. Qvapropter ut brevitati studeamus, de togatis status Politici Præsidibus, hac vice pluribus agere nolumus, siqvidem in solis mensa positum, qvod Capillamenta æque ac vestes splendidiores ad augendam auctoritatem faciant ; id qvod testimonio Politici inter Historicos eminentis, Livii confirmamus, qvi Lucano Principi ex promissa cæsarie non minus, quam ipsa suapte natura & genio Majestatem accessisse factetur. Neqve de aliis laborabimus, qvi, cum res in apri-  
**cō** sit, Antagonistam hucusqve nullum, peculiari opere negotii aliquid faceſſentem, repererunt: qvandoqvidem cum vento pugnam conſerere non didicimus. De triplici ergo hominum genere tantummodo dispiciemus, nimirum de Militibus, de Studiosis, & de Sacrorum Mystis, utrum illis Capillamento uti liceat, nec ne ?

II. A Militibus incipimus. Cum vero de armatis ju-  
dicare illum, qvi non nisi cum mortuis aut inermibus bella gerere didicit, res plena & difficultatis sit & periculi, age ! ipsos Bellonæ filios quasi in Senatum vocabimus, ut ex eoruñdem suffragiis, qvid praxi Bellicæ omnium maxime conveniat, addiscamus. Et hic qvidem qvot capita cerno, totidem sententias audire mihi videor; ita tamen ut plurimo-  
rum